



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

Quòd magna diligentia se debeat, communicaturus Christo, præparare. 12

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

honestum & vtile procedere debet  
verbum, qui tam sœpè Christi accipit  
Sacramentum.

**7** Oculi eius simplices & pudici, qui  
Christi corpus solent intueri. Manus  
puræ, & in cælum eleuatæ, quæ crea-  
torem cæli & terræ solent contractare.  
**Lxx. 19.** Sacerdotibus specialiter in Lege dici-  
**& 20.** tur: Sancti estote, quoniam ego san-  
ctus sum Dominus Deus vester.

**8** Adiuuet nos gratia tua omnipo-  
tens Deus, ut qui officium Sacerdotale  
suscepimus, dignè ac deuotè in omni  
puritate & conscientia bona tibi famu-  
lari valeamus. Et si non possumus in  
tanta innocentia vitæ conuersari, ut  
debemus; concede nobis tamen dignè  
flere mala, quæ gessimus: & in spiritu  
humilitatis, ac bonæ voluntatis propo-  
sito, tibi feruētiūs de cætero deseruire.

### CAP. XII.

*Quod magna diligentia se debet, Com-  
municatus Christo, preparare.*

#### VOX DILECTI.

**Psal. 23.** **¶ Mat. 5.** **I** Ego sum puritatis amator, & da-  
tor omnis sanctitatis. Ego cor  
purum

purum quæro, & ibi est locus requie-  
tionis meæ. Para mihi cœnaculum Mar. 14  
grande stratum, & faciam apud te Pa- & Luca  
scha cum discipulis meis. Si vis, vt ve- 22.  
niam ad te, & apud te maneam: expur- 1. Cor. 5  
ga vetus fermentum, & munda cordis  
tui habitaculum. Exclude totum sacer- Exod. 24  
lum, & omnem vitiorum tumultum: 24.  
sede tamquā passer solitarius in tecto,  
& cogita excessus tuos in amaritudine  
animaæ tuæ. Omnis namque amans,  
suo dilecto amatori, optimum & pul-  
cherrimum præparat locum, quia in  
hoc cognoscitur affectus suscipientis  
dilectum.

2 Scito tamē te non posse satisfacere  
huic præparationi, ex merito tuę actio-  
nis, etiamsi per integrū annum te præ-  
parares, & nihil aliud in mente habe-  
res. Sed ex sola pietate & gratia mea,  
permitteris ad mensam meam acce-  
dere: ac si médicus ad prandium voca-  
retur diuitis, & ille nihil aliud habeat  
ad retribuendum beneficiis eius, nisi  
se humiliando & ei regratiando. Fac,  
quod in te est, & diligenter facito: non  
ex consuetudine, non ex necessitate,  
sed cum timore, & reverentia, & affe-  
ctu,

et tu , accipe corpus dilecti Domini Dei  
tui , dignantis ad te venire . ego sum  
qui vocavi , ego iussi fieri ; ego supple-  
bo quod tibi deest : veni , & suscipe me .

3 Cùm gratiam deuotionis tribuo ,  
gratias age Deo tuo : non quia dignus  
es , sed quia tui misertus sum . Si non  
habes , sed magis aridum te sentis , insi-  
ste orationi , ingemisce & pulsa : nec  
desistas , donec merearis micam aut  
guttam gratiæ salutaris accipere . Tu  
mei indiges , non ego tui indigeo . Nec  
tu me sanctificare venis , sed ego te san-  
ctificare & meliorare venio . Tu venis ,  
vt ex me sanctificeris , & mihi vniaris ,  
vt nouam gratiam recipias , & de nouo  
ad emendationem accendaris . Noli  
negligere hanc gratiam : sed præpara  
cum omni diligentia cor tuum , & in-  
troduc ad te dilectum tuum .

4 Oportet autem , vt non solùm te  
præpares ad deuotionem ante Com-  
munionem , sed vt etiam te solicite  
conserues in ea , post Sacramenti per-  
ceptionem . Nec minor custodia pòst  
exigitur , quā deuota præparatio priùs .  
Nam bona postmodum custodia , opti-  
ma iterū est præparatio , ad maiorem

gra-

gratiam consequendam. Ex eo quippe  
valde indispositus quis redditur, si  
statim fuerit nimis effusus ad exterio-  
ra solatia. Caue à multiloquio, mane Pron. 10.  
in secreto, & fruere Deo tuo. Ipsum  
enim habes, quem totus mundus tibi  
auferre non potest. Ego sum, cui te to-  
tum dare debes: ita ut iam vltra non in-  
te, sed in me, absque omni solicitudine,  
viuas.

## C A P. X I I I.

*Quod toto corde anima deuota, Christi  
unionem in Sacramento, affe-  
ctare debet.*

## VOX DISCIPULI.

**Q**uis mihi det Domine, ut inue-  
niam te solum, & aperiam tibi  
totum cor meum, & fruar te, sicut de-  
siderat anima mea: & iam me nemo  
despiciat, nec vlla creatura me moueat  
vel respiciat, sed tu solus mihi loqua-  
ris, & ego tibi, sicut solet dilectus ad Exod. 33. &  
Cant. 8.  
dilectum loqui, & amicus cum amico  
conuiuari? Hoc oro, hoc desidero, ut  
tibi totus vniar, & cor meum ab om-  
nibus creatis rebus abstraham, magis-  
que